



*In Dei Filio sibi dilectis RR. adm. PP. Prioribus Provincia-
libus, Diffinitoribus, et Electoribus Provinciarum Hispaniæ,
in Hispania commorantibus, Ordinis Prædicatorum, ad pro-
ximum Generale Capitulum Cordubæ celebrandum, de jure
spectantibus; necnon Religiosis omnibus ejusdem ordinis.*

NOS FRATER VINCENTIUS BERNARDOS
DE QUIRÓS, Sacræ Theologiæ Professor, Prior Provincialis
Provinciæ Bæthicæ, ac ejusdem Ordinis humilis Pro-Vicarius
Generalis in Hispaniarum et Indiarum Regnis:

Salutem, Religionis zelum, et mutuam dilectionem.

Quando transmissimus vobis, dilectissimi Patres, convocatorias litteras nostras, die XV Junii proximè elapsi datas, pro Generali Capitulo Cordubæ celebrando; jam diu Cholera-morbus Bæthicæ populos dire cruentabat; et quod maxime timendum erat, propemodum advenit; ita ut, dicere possimus cum Beato Job, *timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit.* Namque paucis transactis diebus à præfata convocazione, horrida illa lues facillimè repagula urbium, et ipsos Vandalitiæ terminos transilivit; atque modo longè latèquè diffusa, universam Hispanam Peninsulam læthalibus ictibus pulsans, urbes depopulatur, et viduat civibus oppida.

Sed heu! Non sola est calamitas ista, quæ pectora nostra premit. Etenim civile immane bellum pariter dilacerat Patriam, animos inardescit, discordias fovet, et adauget pericula. Quid tristius, et horribilius, dilectissimi Patres? Quidque Nobis, et vobis magis formidandum? Nonne in hac malorum colluvie, tantisque procellis jactati, Capituli Generalis Suffragatores, iter peragere concupiscerent, Cordubamque adire pro ejusdem celebratione? Quis tam audax? Certè scimus, quamplurimos defuturos, magno, æque ac justo timore perterritos. Et quid tunc? Vitæ conservatio lex est à natura indita, contra quam præscribere Ordinis positivæ leges, nullatenus possunt. Quapropter nemini mortem maturare permittitur, nec provocare pericula: et quum Christus Dominus bajulare præcipit crucem, neutiquam jubet quærere sepulturam.

Aliunde, Suffragatorum numerus valde est exiguus. Si igitur defuerint aliqui, ridiculum sane apparebit Capitulum: quod in posterum forsàn posset dubitationes et discrimina afferre.

Quum verò nobis in votis sit examussim omnia peragere, conscientiæque nostræ satisfacere, acri judicio perpendimus, quæ circa præsentem materiam Ordinis leges statuunt. Equidem in Distinctione 2.^a Cap. 17. textu 1.^o nostrarum Constitutionum dicitur, „*Quod Magister Ordinis, seu ejus vicesgerens, et Diffinitores Capituli Generalis, sicut possunt ex causa legitima, quoad locum mutare Capitulum, ita etiam quoad tempus, prolon-*

„gando, vel accelerando illud:,, Hæc leguntur in Sacris Constitutionibus. At præterea, in ordinatione 4.^a Cap. Generalis Romani 1721, additur: „Or-
„dinamus, ut si grassante peste in Europa, habendum sit Capitulum Ge-
„nerale electivum, Rmus. Pater Vicarius Generalis Ordinis pro tempore,
„consulat RR. adm. PP. Provinciales omnes, qui suum hac de re calcu-
„lum, de graviorum Patrum Provinciæ suæ assensu, scriptis sigillo Pro-
„vinciæ munitis, quantocius fieri poterit, Romam transmittant, et pro ma-
„jori numero calculi Provincialium, celebretur, aut non celebretur Capi-
„tulum „

Examinatis, inquam præfatis Legibus, ac in statera Sanctuarii ponderatis temporum circumstantiis, prius etiam auditis, Religiosis viris scientia et vir-
tute præditis, sub die 20 præteriti mensis Augusti, RR. adm. PP. Provin-
ciales, Diffinitores, immò et Electores futuri Cordubensis Generalis Capituli
consulimus, super hæc duas quæstiones:


1.^a An status sanitarius ac politicus Hispanæ Peninsulæ sit causa suffi-
ciens, et legitima ad prolongationem Generalis Capituli electivi?

2.^a Casu, quo stent pro parte affirmativa; significant diem ad ejus cele-
brationem opportunè peragenda.

Acceptis denique responsionibus postulatis, quas fervidè præstolabamur; festinanter accingimur notas vobis facere præfatas resolutiones. Circa primam quæstionem propositam, Suffragatores omnes, concordi mente, et amica vo-
ce dijudicant, necessariam omnino esse Capituli prolongationem; uno dum-
taxat exepo, qui directè ad præfata quæsitæ nil respondet. Ast verò, circa secundam; sunt, qui volunt prorrogare Capitulum usque ad pervigilium Pen-
tecostes, anni proximè venturi, sicuti in Sacris nostris Constitutionibus præ-
scribitur: cæteri autem, quamvis tempus non designent, relinquentes prudenti-
æ nostræ tam convocationem, quam ipsam celebrationem, attamen minimè celebrari existimant, nisi postquam pestis fuerit extincta, et pax restituta.

Quapropter tenore præsentium, nostrique auctoritate officii, indicimus, et denuntiamus, convocationem vobis transmissam sub die 15 mensis Junii, proximè elapsi, pro Capitulo Generali electivo Cordubæ celebrando, die 4. mensis Octobris proximè venturi, attentis circumstantiis, effectum non habere, donec aliud decernatur. Et quando totaliter quiescant pericula, quibus premimur, eadem officii nostri auctoritate, Nobis reservamus, auditis iterum RR. adm. PP. Provincialibus, et Diffinitoribus, pertractare, et decernere de futura celebratione Capituli; de qua quidem vos omnes certiores reddendi sollicitam curam habebimus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque &. In quorum fidem &. Datis in Regio nostro Sancti Petri Martiris, Ordinis Prædicatorum Toletano Cœnobio, die 10 mensis Septembris 1834.

Fr. Vincentius Bernardos de Quirós.
Pro-Vicarius Generalis Ordinis.



Reg. pág. 20.

Fr. Joannes de Deo Pastor.
Mag. et Socius.

